



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

22. Feria 2. Domin. 2. Epiphaniæ. De differentia Præceptorum Evangelij, à
Lege veteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

ant: quia qui ad finem naturâ meliorem elevatur, debet per media fini proportionata, naturamque excedentia velle finē obtinere: atqui nec intellectus humanus, nec Angelicus per se ipsos sufficiunt ad illa media obtinēda, quod sint supernaturalia, sicut est finis.

Conf. 3. Et odisse statuat, quidquid repugnat voluntati Dei: facere autem bonum, cogitatione, verbo, & opere: præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Decalogi observare singulatim: quod mihi nolo fieri, non faciam: quod mihi volo, alteri præstabo: præcepta Ecclesiæ sapientissima & optima matris custodiam: statutis religionis (si religiosus sum) & votorum parebo: Prælatorum mandatis obtemperabo: divinâsque inspirationes excipiam eo affectu, quo sitientissimus ealitem manu tenet, & ebibit, quantumque eo inebriatus sim, intelligam ex D. Augustino in Ps. 103. *Inebriamini, sed videte unde: si vos inebriat calix Domini præclarus (in SS. Eucharistia) videbitur ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore Iustitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestra, sed à terrenis in cælum, ubi nuptiarum tempus, locusque proprius.*

MEDITATIO XXII.

Feria 2. Dom. 2. Epiphaniæ.

*De differentia præceptorum Evangelij,
à Lege veteri;* Au.

Avdiam D. IESV legem præstantiorem lege veteri. Petam eam esse qui.

Conf. 1. Differentiam novæ legis ab omni alia, quòd finis aliarum legum sit delicta punire: lex autem Evangelij punit principia, & origines delictorum: ut si oculus scandalizat te, non dixit: scandalizavit, sed antequàm scandalizet, antequàm pecces, causam peccati abscinde. Ita docuit non jurare, ne pejeres: ut enim mentiri non potest, qui non loquitur, sic nec pejerare, qui non jurat. Amabo tam præstantem legem, quàm nos principia punimus scelerum, alijs fines. Naz. orat. in Iulio.

Conf. 2. Cur dicat D. IESVS: Non veni solvere legem, videlicet, quòd lex tollatur, vel ut abrogetur nomen Legislatoris, vel ipsa lex: neutra fuit causa sufficiens ad tollendam legem Decalogi: qui eam dederat, fuit ipse Deus, qui loquebantur, Prophetæ. Hinc illa confirmatio Decalogi ad vitam ingredi volentibus contra insanos hæreticos. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Conf. 3. Quomodo D. IESVS venerit adimplere legem, id est, perficere: quia variæ erant veteribus permissiones, ut divorcium, pluralitas conjugum, &c. quæ jam perficiuntur: erat unum solummodò templum, Sacerdotes tantum de tribu Levi, jam ubique gentium colitur Deus, & ad hoc ordinantur qui.

quic
plen
vetu
veni
tem
Rom
bit i
Itaq
que

O
A
tem
Mat
C
scen
quia
abst
enim
Hic
tium
cum
vire
est i
sa, q
Mat
cupi

quicumque digni: præterea datur gratia implendi, quæ præcipit Christus. Sicut autem vetus lex cærimonialis non obligat nos: quia veniente figurato umbræ disparent, *finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti*: Rom 10. Sic lex Evangelij nos non obligabit in cælo: quia habito fine cessant media. Itaque ut acceleretur regnum Dei, quodcumque mihi Dominus dixerit, alacrius faciam.

MEDITATIO XXIII.

Feria 3. Dom. 2. Epiph.

Ordinatur potentia concupiscibilis.

Avdiam D. IESVM præcepto negativo concupiscenciam coërcentem: *Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem, &c.* Matth.,. Petam ejus doctrinam assequi.

Conf. 1. Quomodo Dominus concupiscenciam opum, quæ resistit salutis, rescindat: quia cor à cœlestibus aufert, animum à Fide abstrahit, & ad idola convertit: procedit enim à spiritu mammonæ, Diabolo opum. Hic ille lapis est offensionis iudæorum dicentium, Ioan 11. *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem*: adeo repugnat servire Deo, & mammonæ. Itaque resecanda est inordinata rerum sollicitudo, ejusque causa, quam affert D. Chrylost. Hom. 21. in c. 6. *Matth. Nihil ita ad amorē divitiarum, ut gloriæ cupiditas inflammat.* *Conf.*